



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

I. Epitaphium Ludovici Pij Imperatoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

C A R M I N A
Æ V I K A R O L I N I

Nunc primùm edita ex vetustissimis illorum temporum membranis.

I.

Epitaphium Ludovici Pij Imperatoris.

Ex veteri
membrana
S. Arnulfi
Metensis.

Pæcellus meritis, famoso & nomine clarus,
Felix Augustus hic Hludovicus adest.
Corporis hic artus clausit quando ultima solvit
Humana vitæ & super altra petit.
Hic fidus, fortis, nulli pietate secundus,
Clemens, & patiens, atque benignus erat.
Ecclesias Christi ritu renovavit honesto,
Ipsius & cultor verus ubique fuit.
Cælaris hic genitus Karoli Augustique superstes
Successit regno huic sceptrum regens populi.
Quem nunc pro factis meritis jam credere fas est
Cum Christo Domino regna tenere poli.
Cujus germanus Drogo Christique sacerdos
Transiit huc corpus, condidit hoc tumulo.

Decessit autem anno imperij sui xxviii. die
xiii. Kal. Julij, anno verò ætatis Lxiiii. quie-
vitque in pace.

Hanc, æterne Deus, Cæsar Hlotharius aram
Devoto jussit corde parare tibi;
Illic sacra tui quò victima rite sacretur
Corporis, & fiat sanguine munda tuo.

I I.

*Versus in laudem Lotharj Imperatoris positi
in fronte textus evangeliorum quem ipse ob-
tulit monasterio sancti Martini Metensis.*

Ex veteri
codice bi-
bliothecæ
regiæ.

Arbiter altitronus mundi formator & auc-
tor,
Quisque polorum servas cuncta potenter & ævi,
Qui regnare jubes Reges per sæcula mundi,
Hlotharium, qui nunc fultus pietate tua alma
Induperator habetur Rex augustus in orbe,
Dextera celsa tua exaltet, defendat, & ornet,
Imperium ut teneat, dilatat, firmet, adunet,
Utatur bene pace fruens & prosperitate,
Ac valeat, vigeat, vivat per sæcula felix.
Nam pius ipse Augustus Christi ductus amore
Hoc decus almificum Ecclesie prævidit ut esset,
Præfuls atque beati Martini veneratu
Hunc pulchrèque gregem librum intra scribere
jussit
Ipsius ornari auro & picturis venerande,
Ut notum faciat quantum pollet locus ille.
Sed Sigilaus parens jussit Regis studiosè
Hoc evangelium illic totum scribere jussit.
Præscripti atque gregis voluit frater fore Cæsar,
Scilicet ut humilis donum capiatque supernum.

Nempe ipse grex toto nisu cunctipotentem
Pro virtute Augusti & conjugè necnon prole præ-
catur.

Pictus * habetur ob hoc necnon Rex pagina in * vide No-
ista, tas pag.
Vt quisquis vultum Augusti hic conspexit um- 1172.

quam,
Supplex ipse Deo dicat cunctipotenti:
Lotharius requiem mereatur habere perennem
Per Dominum nostrum Christum, qui regnat ubi-
que.

I I I.

*Versus in fronte Bibliorum positi & aureis
litteris exarati in vetustissimo codice MS.
monasterij sancti Dionysij, qui nunc extat
in bibliotheca regia.*

Biblorum seriem Karolus Rex inclitus istam
Contexit chryso corde colens catharo.
O miranda nimis Domini sapientia summi,
Quæ præfens aderat dum celos ipse parabat.
Nec spectanda minus quòd sic disponere cuncta
Ordine composito nostri sub jure coopto.
Tu stellas stellas interposuisse videris,
Sideras vario expungens discrimine metas;
Luminibus cunctis statuens præponere solem.
Tu quoque circuiens cæli sic undique gyrum,
Nexisti median convexo climate terram.
Tu mare fluctuosum divisa parte locasti.
Diversas gentes habitus sic mōsque reservant.
Sed tu primatum cunctis in gentibus æquum
Sola tenes, propria reprimens virtute superbos.
Regibus & regnis semper tu jura dedisti;
Paruit atque tuis quisquis de Regibus orsis,
Culmine sublimi micuit sublimior ipse.
Felices dicti, felices sunt quoque facti.
Quique hæere tibi, tua laus & gloria regnant,
Biblorum serie de multis multa feruntur,
Correctis aliis, reprobatu denique multis.
Quosdam glorifico rexisti nomine Reges.
Sed servasse tuum tibi specialiter unum
Ac proprium Karolum claret sapientibus orbis,
Quem solem solum regali scemate clarum
Lumine conspicuum ponis, sapientia, primum.
Nunc licet atque libet feruari funditus illum
Rite modum Reges tibi quo placuisse sciuntur,
Sicque tuus dici Karolus vel possit haberi,
Pandatur saltem paucis radibusque loquelis.
Fortis namque David per te regnavit & egit,
Arma beatorum, necnon & norma reorum,
Stare docens sanctos, rursusque resurgere lapsos.
Non pateris humiles penitus tu, sancta, perire,
Quos te corde tuo satis acceptasse fatearis.